

32

S E R M O
^{FN}
CORONATIONE
SERENISSIMÆ
L V D O V I C A Æ
M A R I A Æ
P O L O N I A Æ & S V E C I A Æ
R E G I N A Æ,
&c. &c. &c.

Habitus

In Cathedrali Ecclesia Cracouensi, Ab Ordinario eiusdem Ecclesie Concionatore, Ordinis PP. Carmelitarum Discalceatorum.

Cum Superiorum Permissu.


V A R S A V I A Æ,

In Officina PETRI ELERT S. R. M. Typographi, Anno D. 1646.

Imprimatur.

Jacobus Vstiensis, S. Th. & I. V.
Doctor, Librorum per Dio-
cesim Cracouiensem Censor.

E. XIV



Ortunatis, cœlo, so-
loq; fauente, Auspicijs, S E-
RENISSIMI & INVII-
CTISSIMI REGIS
VLADISLAI IV. Do-
mini Domini nostri Clementissimi, S E-
RENISSIMAM CONSORTEM,
ritu solenni, more Sacrosanctæ Ecclesiæ
Catholicæ, inauguratam, & per manus
SIMEONIS NOSTRI inunctam, ac
Sceptro, & Diademate Regali insignitam,
lætabundus hodie salutat ORBIS SAR-
MATICVS. Illi inclytam Regni CO-
RONAM, sibi tantam gratulatur RE-
GINAM. Nouam in suis laribus PVL-
CHERIAM, aut CVNEGUNDIM: rediuiuā
BLANCAM, aut CLOTILDIM: restitutā

A 2

ELI-

Jll: 40
Ridmi
Archis.
episc:
Gnesn:
Prima-
tu Reg.

ELISABETHAM, aut HEDVIGIM, ANNAM,
aut CONSTANTIAM: renatam deniq; CÆCILIA
RE NATAM, nostræ olim Gentis deli-
cias, admiratur: & earum, Regiæ in Digni-
tate, insignem virtutum ac pietatis æmu-
laticem veneratur. Quoniam verò festi-
ua CORONATIONIS illius solemnni-
tas aliò sermonem deflectere vetat, & pro-
tensioni tantæ solemnitatis labor, prolixio-
rem non fert Orationem, Rem paucis per-
agam, & Celebritati, & Tempori accomo-
datam; secundo Spiritus Sancti afflatu, Ve-
strisq; beneuolis animis adspirantibus, ad
portum feliciter, velociterq; appulsurus.

Contendunt pleriq; ad Coronam: con-
tendit ad plerosq; Corona. At quemad-
modum non quodus Caput capax est Co-
ronæ, ita nec Corona cuiusuis Capitis re-
spondet capacitati. Excedit non unquam
Corona, Caput minus dignum & aptum.
Imperio: excedit quandoq; Coronam, va-
stū & immensū amplitudine meriti Caput.

Afri-

Cic: de
Orat:
L. 2.

Africano Maiori, dum, teste Oratore Romano, saepius in conuiuio rumperetur Corona, saepiusq; rupta repararetur, varie nonnulli ex conuiuio casum interpretabantur; sinistrum Omen, ex insolenti evenitu, plerique capiebant. Aliquis, cæteris sagacior, occultiorem causam, perspicaciori acumine inuestigans, atque penetrans: O Viri, inquit, desistite mirari, Coronam huic Capiti, toties restitutam, toties ruptam. Caput enim magnum est, & amplum: suâ proinde capacitate exceedens Coronæ capacitatem. v. obit. p. b. clv

Verè Magnum & Amplum est Caput Regium V LADIS LAI IV. Principis, rebus domi forisq; præclarè gestis, toto iam Orbe celeberrimi: Verè, inquam, sacrum hoc & pretiosum Caput nostrum Regium, magnum est & amplum: cuitot trophæis, & victorijs gloriose expanso, ac illustri, vel amplissima non sufficit Corona. Augustissimus animus Regius, angustum suo

A. 3.

impe-

imperio, vel integrum reputat Orbem: &
Caput ingens meritis, exiguum quamque
censem Coronam.

At ingeniosus Artifex Amor, sui, suo-
rumq; bonorum diffusione liberalis, nouit
solerti industria, quantumuis arctam, ab
vno ad aliud Caput ampliando, distende-
re Coronam; & miro ac secreto artificio
sibi strictiorem, alteri comunicando red-
dere laxiorem, vtriq; sufficientem, & abund-
dè competentem. Quin & ipsa Corona
Regalis, suopte genio, non modo absque
vlo dispendio, verùm etiam magno sui
cum incremento, **C O N S O R T E M** ad-
mittit: quò dum protenditur, in seipsa ex-
tenditur. Documentum huius veritatis
Nobilissima vestra Panegyris, requirit?
Exhibeo.

Summus ille rerum Dominus, & Rex
magnus super omnem terram DE VS, cui
Monarchæ genua curuant, cui Reges ser-
uiunt, ante cuius thronum suas vltò depo-
nunt

nunt Coronas: cui quamcunque Coronam Regni erati imposuerimus, exilis est, exigua est. Sola suæ beatissimæ, Regalis, & Imperialis Diuinitatis Corona, sibi sufficiens est, & Diuino suo Capiti apprimè conueniens: immò ipsa sibi sua Diuinitas, Corona est. Regem autem cæli & terræ, totiusq; vniuersitatis creatæ, nominari, Deo nostro, Regi Regum maximo, quantillum est? Ad Consortium nililominus, sicut Regni Orbis, ita & Coronæ Regalis Phœnicem M A T R E M, Phœnicis V N I G E N I T I sui, adsciscere non est dignatus. Adstitit enim REGINA hæc, à dextris eius, in vestitu deaurato, siue ut S. Hieronymus legit, in Diademate aureo. Coronata scilicet Virgo, assertore Ruperto, ut in cœlis esset Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnorum.

in Cœs:
cap: 4.

Nec tamen cœli terræque Monarchæ Corona, ex admisso cœli terræq; Reginæ consortio, restringitur, quinimò ampliatur.

Rega;

Regalia enim huiuscmodi Insignia Diuina, liberali sua communicatione & dispensatione, non modo non attenuantur, aut exhauriuntur, verum etiam (si fas dicere,) sua prodigalitate crescunt, & augentur: & quanto plus Munificentissimus Deus largitur, tanto amplius, ingenio liberalitatis, ditescit: quouè liberalius donat, eò opulentius, fænore sui domi, locupletatur. Capiosæ sunt siquidem; (exclamat sapientissimus Philo,) ô Magnificentissime Deus,

*Libro tuæ gratiæ, nullis circumscriptæ terminis,
Quis diu rer: haec modum, nec finem habent: fontium
more inexhaustæ, & subscatentes perpetuò.
Ipsam proinde Coronam Regalem,
dum Sacratissimæ Virgini Deiparæ com-
municat, non sibi subtrahendo derogat, sed
prorogando propagat, & propagando pro-
rogat.*

*Iam quid aliud sunt Coronæ terrestres,
terrestrium Regum, quam cœlestis Coro-
næ, illius per quem Reges regnant, cœle-
stis*

Itis Regis, decisæ quædam participatio-
nes? Quid aliud Rex ipse in terris, quam
viuum summi D E I simulachrum? cui
tanto plus diuininitatis, quanto plus inest
fæcundæ liberalitatis. Ergo & ille, absq;
ulla damni, suæ Coronæ, formidine, im-
mò securâ cum augmenti eius certitudi-
ne, suam C O N S O R T E M , ad eiusdem
Coronæ vocat Consortium: cui suā dum
communicat Coronam, non restringit,
sed magis dilatat & amplificat.

Æquum porrò est, ut quæ suum coro-
nat Maritum, vicissim coronetur ab illo.
Mulier quippe diligens, ait Spiritus S. Co-
rona est Viro suo. Qui ergo fieri queat,
ut à viro Regni Coronam possidente, ad
eiusdem Regiæ Coronæ sortem non adsci-
scatur? Et quæ est Regij socia thalami,
non fiat simul socia sceptri, socia Regnij?
& quæ Magno Regi, nobili copulatur con-
iugio, eidem in Regiæ dignitatis, non iun-
gatur fastigio? illa præsertim, quæ ex quo

*Apud
Plutar:
Themist.*

nata Orbi, ad Regalem Coronam est de-signata.

Nimirum; ab illo mox tempore, quo REGINA nostra primam aspexit lucem, Coronæ Regales, Regium hoc Caput occupare, occupando ornare, ornando beare, certatim gestiebant, & properabant.

Interim verò (quæ eximia laus est REGINÆ nostræ apud cunctos Orthodoxos Christicolas) interim inquam, dum Coronæ Regales, certant ad inuicem, & certando contendunt, cuinam illarum Almū hoc Caput insignire, aut magis ab illo contingat insigniri: REGINÆ nostræ Caput, quavis Coronâ sublimius, sublimiora pietatis ac Christianæ perfectionis consilia agitat: & pro Coronâ, Sacrum, Sacramum Virginum meditatur velamen: pro Purpura Regia, asperum Cilicum: pro excelso throno Regali, humile Castimonialium Claustrum: quod etiam non modo frequentius inuisere, verum & diutiùs quan-

quandoque incolere, Chorisq; Virginum,
Deo consecratarum assistere, Magna pie-
tatis Alumna consucuerat. Nec multum
aberat, quin fastum pompamq; sacerduli, in
Monastici instituti votum commutasset,
omnemq; Regalis dignitatis & felicitatis
spem, in aliquo Cænobiorum vltro libensq;
sepelisset, ni Diuina prouidentia, aliud pro
maiori suâ disposuisset gloriâ, eamq; omni
iam pietate Religiosâ institutam, destinatæ
reseruasset Coronæ Regali.

Opus:

56.

Celebrat, & iure meritò summis effert
encomijs, Eminentissimæ non modo di-
gnitatis, sed & sanctitatis Cardinalis, B. Pe-
trus Damiani, Augustissimam sui æui Im-
peratricem AGNETEM, quod cum
Claustralibus certaret ieunijs, nouoq; ge-
nere abstinentiæ, dum illi à delicatis epu-
lis, hæc ab Imperiali Coronâ iciunaret.
Nos, inquit, aliquando iciunamus à cibis:
sed tu iciunas à Corona, atq; à tot, & tam
magnificis Imperialis gloriae pompis.

Loquetur futura posteritas, & Magna
Magnorum Ducum Prolem, L V D O V I -
C A M M A R I A M , hodie feliciter flo-
rentissimi REGNI R O L O N I A E Co-
ronâ redimitam , amplissimis prædicabit
laudibus, cui æquè à Corona, atq; ab epu-
lis, cum Virginibus Claustralibus ieuna-
re, decretum fuerat, ni decreta Diuina ob-
stitissent.

Tom. s.
de cōp.
Reg. &
Mon. Commiserat aliquando magnus Patri-
archa Constantinopolis Diuus Chrysosto-
mūs statum Rēgalem cum statu Monasti-
co , in speciali huius argumenti Libello ;
quo haud vulgaribus, non ex sensu radio-
ris sæculi, sed ex penu sacratiōris, & ar-
canæ sapientiæ rationibus depromptis, se-
cum de excellentia, iucundo spectaculo,
confligerent. Quid itaq; mirum, quod
vterque hic status, sanctæ, apud Sanctos,
æmulationi assuetus, de Ingenua quoque
VIRAGINE , sine vlla ipsius, ignomi-
nia, quinimmò magna cum gloria, pia-
æmu-

æmulatione contendebat, quisnam illorum alteri. Eam præriperet.

Sic certantibus ad inuicem Coronis Regalibus, certantibus & sublimissimis in suo ordine Statibus, calculo tandem Diiuino, Regno natam, Regia excipit Dignitas: & inter ipsa Regia Diademata, tibi ô Inclyta, Inclyti Regni Sarmatici Corona, obtigit hæc beata sors, ut hodie beatum hoc Caput cingeres: fieretq; miro commercio; Tu Corona illius, illud Corona Tua. Tu decus illius, illud Tuum ornamentum.

Faustum itaque diem Coronationis, SERENISSIMÆ ac PISSIMÆ REGI- NÆ NOSTRÆ, communi & publico applausu acclamamus, acclamando ap- precamur; apprecedando iterum applaudi- mus. Sit hæc temporalis Regni CORO- NA, indubitatum futuræ sempiterni Re- gni CORONÆ præfigium. Sit Corona Regni Poloniæ, CORONÆ Regni Polorum,

felix Auspiciū; ubi non vno, alterouē
die, vt aureum eiusdem Chrysostomi os
loquitur, sed in æternū trinmphat, quis
De An- quis est illic gestans Coronam; nunquam
na & Sa- amplius habens caput cā gloriā nudatum,
mne iū
duc. quā semel fuerit coronatum.

Avent. Denique quemadmodum olim V R A-
L. s. T I S L A O cum sua C O N S O R T E, Pragæ
à Treuirensi Præsule, ad Regnum Polo-
Annal. nizæ & Bohemizæ inaugurato, à toto Se-
natū, Equestri, & plebeio ordine, accla-
matum est; sic S E R E N I S S I M O, I N V I-
C T I S S I M O, F O R T V N A T I S S I M O Regi
nostro, S E R E N I S S I M Æ, P I S S I M Æ,
F O R T V N A T I S S I M Æ Reginæ nostræ, à
cunctis Ordinibus, Sacris, & Politicis,
hodie ijsdem planè verbis acclametur:
V L A D I S L A O IV. R E G I P O L O-
N I Æ E T S V E C I Æ, à D E O Coro-
nato, Vita, Laus, Victoria. L V D O-
V I C Æ M A R I Æ, R E G I N Æ P O L O-
N I Æ E T S V E C I Æ, à D E O Coro-
nata,

natæ, Vita, Laus, Prosperitas. Vtrique
in præsentis æculo, cumulus ingens optati
solatij ac Diuinæ benedictionis, & post
fata sera, perennis beatitudinis
æterna felicitas.

A M E N.



И. Э. МА